0117
0115
0121
0111
0126
0106
0166
0066
0216
0016
0616
1116
Ende
Anfang

Hic incipit peregrinatio

terrae sanctae, quam fecerunt illi peregrini per terram ipsam, qui volebant peregrinari ad montem Synai post aliorum peregrinorum recessum a Jerusalem et a terra sancta.

(221A) Vicesima tertia, quae est sancti Apollinaris martyris, die convenerunt mane in monte Syon peregrini montis Synai et accersito patre Gardiano et fratre Johanne de Prussia et caeteris patribus conventus eos rogaverunt multis precibus, quatenus locum in conventu eis assignare dignarentur, in quo manere possent et hospitari interim, quod essent mansuri in Jerusalem. Patres autem rem illam omnino difficultabant et gravamina multa assignabant, propter quae eos in conventu habere non possent. Milites hoc audito eos auro ad hoc inclinare conabantur, et productis multis ducatis unus eos obtulit fratri Johanni dicens: hos aureos, frater, accipite, et hospitium, quaesumus, date et provisionem procurate, et dum aurei illi consumti fuerint, alios dabimus. Sed nec sic profecerunt, aurum enim accipere renuerunt, et militibus responderunt: ecce, domini milites peregrini, experientia longa edocti [sumus], melius est vos extra manere, quam nobiscum; juvabimus ergo vos extra apud aliquem conducere hospitium, et conventus consolationem semper ad manus habebitis, et si quis inter vos infirmatus fuerit, illum in nostrum infirmitorium reponemus et curam ejus cum caritate habebimus. Et ne omnino videamur petitiones vestras repellere, accipimus ad nos, sicut in adventu vestro accepimus, socium et comperegrinum fratrem Felicem, qui debet manere in cella, quam habet, et ibi quiescere et in refectorio nobiscum manducare et bibere, quamdiu manseritis hic in civitate sancta. Hoc audito peregrini a coepta petitione desierunt, ego vero

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;